

Hermann Christoph Engelken


Programma Funebre, Quo Justa Solennia Viro ... Domino Nicolao Sibeth/ Civi Rostochiensi, ac Pharmacopæo ... a Liberis mœstissimis An. MDCCXXI. die 24. Octobris Persolvenda, Indicit, Atque insimul Cives Academicos ... Ad funus frequenter comitandum, & Exequias eundum, ea, quas fas est, humanitate, hortatur rogatque

Rostochi[i]: Typis Jo. Weppelingi[i], [1721]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1807383466>

Druck Freier  Zugang







66 Stücke

Wk1b Gen

2/2 -4°


Inhaltsverzeichnis der Leichenprogramme
in alphabetischer Ordnung der gefeierten
Person mit Sterbejahr.

1. Arnd, Karl. 1721.
2. Bademüller, Johannes. 1723.
3. Baltzer, Jakob. 1706.
4. Becker, Heinrich. 1720.
5. Bergk, Catharina v., geb. v. Hecken. 1712.
6. Steinkopf, Margaretha, geb. Christian. 1719.
7. 8. Crohn [Krohn], Johann Adolph. 1750.
9. Darjes, Joachim. 1740.
10. Duve, Joh. Abraham. 1728.
11. Fabricius, Jakob. 1653.
12. Festing, Johannes. 1685.
13. Willebrand, Catharina Christine, geb. Fischer. 1742.
14. Eggerdes, Catharine Marg., geb. Gerdes. 1714.
15. Graumann, Christian Daniel. 1764.
16. Tielcke, Cath. Dorothea, geb. Giesen. 1719.
17. Glück, Friedrich Gottfried. 1707.
- 18-22. Grünenberg, Johann Peter. 1700.
23. Haberkorn, Joh. Balthasar. 1707.
24. 25. Hahn, Julius Ernst. 1751.
26. Henning, Anna Christina, verh. Redeker. 1718.
27. Hildebrand, Christian. 1712.
28. Knesebeck, Heinrich. 1719.
29. Lembke, Agneta, geb. Hinze. 1749.
30. Lesch, Daniel. 1707.
31. Lindemann, Eva, verh. Dugge. 1719.
32. Lindenberg, Kaspar. 1713.
33. Lüders, Marcus. 1738.
34. Mohr, Heinrich. 1729.
35. Schmidt, Helene Catharina, geb. Petersen. 1756.
36. Radow, Georg. 1699.
37. Müller, Christian. 1740.
38. Niehenck, Georg Vitus Heinrich. 1795.
39. Palthen, Samuel von. 1750.
40. Rhades, Georg Michael. 1758.

41. Rhon, Christoph Gottlieb. 1724.
42. Schelhamer, Henrica Maria, verh. Burchard. 1720.
43. Sandow, David. 1752.
44. (Saß) (Charlotte Wilhelmine, geb. Thymne). 1787.
45. Schlaff, Agneta, geb. Lembke. 1748.
46. Vorast, Margareta Sophia, geb. Schleeff. 1758.
47. Schmidt, Jonas. 1745.
48.49. Starck, Samuel Christfried. 1769.
50. Gens Schuckmannia. 1706.
51-55. Schwartzkopff, Kaspar. 1691.
56. Senst, Johannes. 1723.
57. Sibeth, Nikolaus. 1721.
58. - , Catharina Elisabeth, geb. Siebrandt. 1719.
59. Sibrand, Catharina, verh. Radow. 1720.
60. Stever, Christian Michael. 1722.
61. Tielke, Joh. Joachim. 1724.
62. Vandewil, Alexandre de. 1684.
63. Stockmann, Anna Margäreta, geb. Varenius. 1715.
64. Walther, Matthias Gustav. 1768.
65. Weidener, Johann Joachim. 1732.
66. Wolfrant, Dietrich. 1698.

Ko





54
PROGRAMMA FUNEBRE,

Quo
Justa Solemnia

VIRO

DUM VIVERET, PEREXIMIO AC PRÆ-
STANTISSIMO, DOMINO

NICOLAO

Sibeth/

Civi Rostochiensi, ac Pharmacopæo
*MERITISSIMO, & FAMIGERATISSIMO, JAM
EHEU! DESIDERATISSIMO,*

Liberis mœstissimis An. MDCCXXI. die 24. Octobris

Perfolvenda,

Indicit,

Atque insimul

CIVES ACADEMICOS, SUIS SINGULOS
NOMINIBUS

Ac titulis maximè conspicuos,

Ad funus frequenter comitandum, &

Exequias eundum, ea, qua fas est, humanitate,

hortatur rogatque,

HERM. CHRISTOPH.

S S S S S S S S S S

SS. Theol. Doct. ejusdemque Prof. Publ. Ord.

Nec non ad Ædem Joh. Past.

hodie

ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS

RECTOR.

ROSTOCHI, Typis Jo. WEPPLINGI, SERENISS. PRINCIP. & UNIV. Typogr



Itane, qui vix fasces Rectorales

accepi, statim in ipso muneris huius exordio, funus indicere, & ad exequias invitare teneor? Itane lugubri hocce scribendi genere ultimum honorem persolvere debeo Viro, qui insigni pharmacorum & medelarum apparatu pluribus profuit. At sic tamen, summo vitæ necisque arbitro disponente, res evenit, mors namque nemini parcat, sed

quemque stata hora ex hac mortalitate discedere jubet. Sapientissimum *Syracidem* in hæc erumpere novimus verba *Cap. XIV. 17: Omnis caro sicut vestis veterascit, nam fœdus à seculo est: Morte morieris.* Hoc inexorabile fatum Vir aliquis, ingenii acumine præstans, emblemate ingenioso ob oculos ponere, & unicuique meditandum propinare in deliciis habebat, pingi curans speculum cætera politissimum, in quo *caput demortui*, carne omni nudatum, merisque ossibus constans, comparebat, cum adjecto lemmate egregio: *Nemini blandior!* Sane specula vulgaria, in quibus vultum, lineamenta, vestitum, aliaque, contuemur, sæpe numero turpiter fallunt, blandiunturque, pulchram sistentia faciem, quæ deformitate laborat haud postrema, & contra fœdum præsentantia vultum, qui formositatis dono excultus est. Verum enim vero accede, sodes, ad hoc, quod modo memoravi, speculum, accede & inspice in illud, inspice, & contemplare temet ipsum, contemplare temet ipsum, & dic mihi, annon sinceram tui ipsius in eodem perspicias imaginem. Profectò nisi omnem rationis usum exuere, & turpiter amicam veritatis semitam migrare gestis, confiteri vel ingratis tuis cogaris, hic nihil infucati, nihil ementiti, conspectui tuo exhiberi. Quid enim vides? Caput osseum. An itaque vides fucum merum? Minime gentium! Nam aliquando & tuum caput, quod
hactenus

hactenus carne vestitum est, carne orbabitur. Annon ergo imago tui vera & genuina hic refulget? Quis ibit inficias? Hinc speculum prædictum, mortalitatis nostræ nuncium, omni jure lemma meretur adjectum: *Nemini blandior!* Perpende homines in eminentia constitutos, Reges, ac Principes, qui generis splendore, vitæque conditione, reliquis mortalium antecellunt, quorum vestes auro argentoque distinctæ sunt, quorum corpus gemmis purissimis effulget. Annon mortales sunt? Annon morte tandem abripiuntur? Certe viva id docet experientia, ut ubi rerum adfunt testimonia, verbis opus non sit. Ergo speculum nostrum neque summis mortalium blanditur. Considera homines infimi tubsellii, qui humi repunt, ac in tenuibus tuguriis miseram trahunt vitam. Annon mortis præda tandem evadunt? Profectò & id ipse dies satis clare loquitur, ut probatione proluxa superfedere omnino queamus. Ergò speculum nostrum neque infimis mortalium blanditur. Ecce lemma veritati consonum: *Nemini blandior!* Probe hoc advertens *Horatius*, Poëtarum nemini secundus, canere amat:

*Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres.*

Geminum in modum *Maphæus Vegius* in *Appendic. Virg.* ingeminat:

*Heu mortem invisam! que sola ultricibus armis
Elatos frenas animos, communia toti
Genti sceptrâ tenens, aternaque fœdera servans,
Quæ magnos parvosque teris, quæ fortibus æquas
Imbelles, populisque duces, seniumque juvenæ,*

Eleganter, more suo, elegantissimus *Seneca* *Epist.* 77. fatur, non mori, endi tantum necessitatem inculcans, sed insimul ab inani mortis metu abstrahens: *Nemo tam imperitus est, ut nesciat, sibi quandoque moriendum, tamen cum prope accesserit, tergiversatur, fremit, plorat. Quid fles miser? Quid trepidas? Omnes hac necessitate discuntur. Eo ibis, quo omnia eunt. Ad hanc legem natus es. Hoc Patri tuo accidit, hoc matri, hoc majoribus, hoc omnibus ante te, hoc omnibus post te.* Quoniam itaque pallida mors nemini parcit, led cunctos sub leges suas atras vocat, mirum nemini videbitur, Medicos quoque ipsos, ac Pharmacopæos, quorum illi medicinam parant, hi divendunt, mortis imperio subjectos esse. Luget adhuc alma nostra Varniaca MEDICUM præstantissimum, Archiatrum experientissimum, qui palmam multis præripiebat, nemini concedebat; Luget, inquam, SCHAPERUM, vel solo nomine memorato, sui desiderium in omnium cordibus excitantem, patientemque. Vah! quantam medelam is non attulit pluribus? Quam multos, in faucibus propemodum mortis hærentes, aptitudine incomparabili sanitati non restituit? Quam non praxi medicâ, eâque felicissimâ, contemptores medicinæ in ruborem dedit? At verò Medicorum hic Princeps mortem, sibi ipsi imminentem, domare non potuit, quandoquidem in præcipuo ætatis flore mundo valedixit, ac ad meliores abiit. Sic ante tempus haud adeo longum, diem supremum obiit dextrerrimus Medicus, morborum causas peculiare, effectus, proprietatesque, ad unguem usque edoctus, remediaque opponenda apprimè callens. Hodie verò effertur funus PHARMACOPÆI spectatissimi, nemini peritia artis suæ secundus, multos post se relinquens, quem totum pharmacopolium, tot herbæ

() z

salutare

salutares, tot aromata præstantissima, tot liquores probatissimi, non poterunt à morte immunem præstare. Recte itaque *Ovidius Lib. 1. de Ponto* erumpit:

Non est in Medico, semper relevetur ut ager.

Interdum docta plus valet arte malum.

Adferat ipse licet sacras Epidaurius herbas.

Sanabit nulla vulnera cordis ope.

Tollere nodosam nescit medicina Podagram.

Nec formidatis auxiliatur aquis.

Cura quoque interdum nulla medicabilis arte:

Ant se sit, longa est attenuanda mora.

Verum enim verò propius ad scopum properare, ac quem hæcenus generalibus tantum delineavi coloribus, penicillo paulo expressiori depingere debeo. Vivere nempe desiit vir pereximius, Dominus NICOLAUS SIBETH, Civis hic, dum viveret, æstumatissimus, Pharmacopæus præstantissimus. Hujus itaque vitæ curriculum, insecutumque nuper vitæ exitum; more in Academiis recepto, breviter percensere non erit dividiæ, præsertim cum beate defunctus ita se semper inter nos gessit, ut propter meritorum, quibus effulget, splendorem, memoria ejus posteritati, si quæ futura est, jure commendetur merito. Lucem aspexit Hic Noster Anno supra millesimum, sexcentesimo quinquagesimo Sexto, die 3. Junii, Parentes exosculatus pientissimos; PATREM quidem Virum plurimum Reverendum, ac amplissimum DN. HENRICUM SIBETH, Ecclesiarum Finkenensis & Marloviensis Pastorem, per quinquaginta annos, vigilantissimum, districtusque Ribnitzensis Seniore venerabilem; MATREM autem *Margaretham Grimmstein*, sceminam virtutibus sui sexus maxime coruscantem. AVUS PATERNUS ipsi contigit Generosus DN. CAROLUS SIBETH, Nobilis ex Livonia, qui Narvæ an. MDXCIII. natus, sed variis fortunæ procellis agitato, Rostochium tandem appulit, ac mercaturam exercere cœpit. AVIA PATERNA ipsi fuit laudatissima Matrona *Margaretha Sibrands*. AVUM MATERNUM habuit NICOLAUM GRIMMENSTEIN, Civem & Mercatorem Flensburg, primum. PROAVUS PATERNUS extitit Generosus DN. HENRICUS SIBETH, Nobilis Livonus, Præfectus Narvensis, ac Regi Poloniæ à consiliis. PROAVIA verò PATERNA, illustris scemina *Catharina à Fröster*, ex Baronum Anglicorum prosapia oriunda. ABAVO PATERNO gavifus est Generoso DN. JOHANNE SIBETH, Nobili Britannico, qui relictis patriis laribus, Livoniam se recepit, ibique domicilium quæsit; ABAVIA autem PATERNA, *Catharina Elisabetha à Sibalden*, scemina nobili Londinensi in Anglia. TRITAVUM PATERNUM laudat Generosum DN. CAROLUM SIBETH, Nobilem Anglum. TRITAVIAM verò PATERNAM, MARGARETHAM ab INGOLSTARBARD, ex Baronum Anglicorum stemmate prognatam. Altius quidem in hac ascendentium linea liceret ascendere, atque celebrare Majores in Anglia tunc temporis summe celebres, ab *Engelken*, à *Lesle*, à *Muntriguntray*, aliosque, ex quorum sanguine Noster beate defunctus descendit. At supersedere hoc opere facile possumus, quandoquidem ex hæcenus adductis satis superque liquet, ex generoso planeque inclyto stemmate Nostrum esse procreatum,

creatum, satumque. Vix interim beatus SIBETH lucis usura frui cœpe-
rat, ubi piissimi Parentes infantem, à Deo donatum, Deo reddere studie-
runt, eundem sacro regenerationis lavacro tingi, ac Christo inferi curan-
tes. Et cum Christianis Parentibus hæc quoque cura incumbat, ut libe-
ros suos optimis imbuere Christianimi præceptis, illosque in timore Do-
mini educare elaborent; nihil in se desiderari passi sunt *Nostri Hujus* Pa-
rentes amantissimi, siquidem in eo formando, ac ad voluntatem divinam
componendo, nullum non studium impenderunt, nullum non laborem
susceperunt, nulli operæ pepercerunt, unde, Deo sacrum hoc institutum
benedicente, factum est, ut *Noster* tam in agnitione Dei vera, quam in
pietate haud infucata eos caperet profectus, qui non poterant non sollici-
tos exhilarare Parentes. Postea ad maturiorem perveniens ætatem, præ-
artibus, quas liberales vocant, elegit artem pharmaceuticam, illique
excolendæ se totum mancipavit. Id propter Anno Christi millesimo sex-
centesimo, septuagesimo secundo, Sedinum se contulit, ibique integrum
quinquennium, sub fideli manu ductione ac institutione *Dn. Nathanaëlis*
Schwaben / Pharmacopæi Sedinensis solertissimi, addiscendæ, illius cui
se tradiderat, artis causâ, exegit & consummavit, qua ratione quoque
tantum profecit, ut absolutis tyrocinii annis, ad manus esse, & quæ præ-
scribebantur medicinæ, debita circumspectione conficere posset. Ut ve-
ro majores semper faceret progressus, varias peregrinas oras visitavit, Sa-
xoniam, Silesiam, Holsatiam, Sveciam, aliasque regiones longe distitas,
& remotas, pertransiens. Peractis sic, in scientiæ suæ utilissimæ cul-
turam institutis, peregrinationibus modo dictis, tandem, divina
ita disponente providentia, secunda fortuna delatus est Lubecam, urbem
imperialem nobis omnibus notissimam, ubi firmam nactus sedem, con-
jugium cum vidua quadam honestissima contraxit, sicque mercaturæ
operam navare cœpit. At hocce matrimonium non solum sobolis ex-
pers fuit, sed etiam ipsa conjux lectissima haud multo post fati concessit,
vitam æternam cum caduca felicissimè commutans. Hinc, finito anno
luctus, *Noster* ad secunda postmodum vota transit. Licet verò paca-
tæ ac omni ex parte beatæ hæc secundæ extiterint nuptiæ; Attamen
vinculum conjugale, æque ac primum, mox, jubente ita summo rerum
Arbitro, fuit dissolutum, quemadmodum pariter neque hac altera vice
liberos suscepit. Hinc tertio societatem matrimonialem inire lubuit cum
virtuosissima tunc virgine, GERTRUDE BAUERTS. Et ecce! divi-
na sic jussit voluntas, ut is haud multò post, una cum mellitissima sua
BAUERTIA, Rostochium nostrum, & antiquitate urbis, & splendore
Academiæ coruscum, concedere cogeretur, ab Amplissimo Senatu Ro-
stochiensi vocatus Pharmacopæus. Interim cum modo memorata GER-
TRUDE BAUERTS, duos procreavit Filios, quorum *primus* mundum vix
aspiciens, mundo iterum valedixit, instar floris decidui, qui dum efflo-
rescere cecepit, e vestigio iterum deflorescit; *Secundus* autem CARO-
LUS, natus Anno MDCC. die 21. Junii, non solum adhuc hodiè in
vivi est, sed etiam amarum Patris dilectissimi obitum acerbis deflet
lacrymis. Licuit vero BEATO SIBETHO ita esse felici, ut, non tan-
tum de egregia CAROLI sui indole in sinum gaudere, sed quoque
susceptum in Medicina Doctoratum ei adhuc gratulari posset, quan-

doquidem, Parente adhuc vivo, prænobilissimus ac Experientissimus DN. Doct. CAROLUS BIBETH Halæ haud pridem gradus doctoralis axiomate condecoratus est, qui tamen ob susceptas peregrinationes funus amantissimi Genitoris comitari nequit, perenni observantia ac grata beneficiorum paternorum, in se collatorum, recordatione, & veneratione iusta ipsi faciens. Sed redimus ad beate demortuum! Quemadmodum nihil non in hoc mundo mutationi, & vicissitudinibus subjacet; ita Noster denuò fortunam habuit novercam, quoniam & hæc prælaudata tertia conjux debitum naturæ persolvendo, justum sui desiderium in animo & Mariti, tertium vidui, & Filii, reliquit. Svadentibus ergo negotiis domesticis, imò imperantibus, Anno MDCCI. die 13. Octobris, novam sibi uxorem elegit, Prænobilissimam sc. ac ornatissimam tunc virginem, CATHARINAM ELISABETHAM SIBRANDS, filiam bene educatam Viri olim Prænobilissimi, Consultissimi, atque Excellentissimi DN. JOHANNIS SIBRANDI, J. U. Doctoris, & in hac alma Antecessoris longe celebrissimi, cujus nomen ob insignia in universam Academiam, & FCtatem præsertim juridicam, merita, grata adhuc posteritas veneratur, & in deliciis habet. Hoc ultimum matrimonium larga DEI benedictione est coronatum, quia & sociam thori exoptatissimam Noster accepit, & numerosam ex illa prolem vidit. Suscepit enim Anno MDCCIII. die 16. Jan. JOHANNEM, Anno MDCCIV. die 6. Martii CATHARINAM; Anno MDCCVI. die 1. Aprilis, BARBARAM; Anno MDCCVII. die 19. Aprilis, MARGARETHAM; Anno MDCCIX. die 17. Aprilis GEORGIUM; Anno MDCCX. ERNESTUM; Anno MDCCXI. die 19. Martii, PETRUM HEINRICUM, Anno MDCCXII. die 16. Augusti HEDEWIGAM ELISABETHAM; Anno MDCCXIV. die 21. Septembris; CHRISTIANUM ALBRECHTUM, ex quibus tamen GEORGIUS & ERNESTUS, qui se in hac vita secuti sunt, in alteram pariter unus post alterum emigrarunt; superstites vero Parentem suum optimum acerbè deflent. Solet DEus optimus Maximus eos, quos ex una parte temporali beatæ felicitate, paterna visitare castigatione, ne, prospera fortuna arridente, intumescant, elati reddantur, ac à scopo æternæ salutis deviant. Testatur suo id exemplo B. SIBETH. Hic quippe de conjuge sua incomparabili, pia, rerum satagente, liberos probè educante, impensè lætatus, illa ipsa, maximo cum mœrore, fuit orbatus Anno MDCCXIX, mense octobris. Ab eo tempore *Beatus Noster* se pariter ad requiem componere cœpit, mundi hujus delicias aspernatus, ac superna sapiens, nihil quippe magis optavit, quam, DEo ita jubente, dissolvi, & esse cum Christo, cum choro sanctorum Angelorum, cum cœtu beatorum, cum suis, quos præmiserat. Et ecce! exaudivit summum Numen votum tam ardens, tam sanctum, tam pium, quia post octo dierum ægritudinè, quâ durante Spiritum suum nunquam non DEo commendavit, animam, sanguine Christi redemptam, DEo reddidit, Anni currentis MDCCXXI, die decimo septimo. Octobris, placide in Domino obdormiens. Equidem, ne debitam corporis ac sanitatis curam, quantum in se erat, negligeret, in consilium adhibuit, ad se vocatos Duum - Viros celebratissimos, Excellentissimos

cellentissimum ac Experientissimum DN. DOCT. DETHARDINGIUM;
Medicinæ in nostra Academia Professore Publicum meritissimum,
Fautorem ac Collegam meum longe æsumatissimum, nec non Ampliffi-
ac Experientiff. DN. DOCT. SCHAPERUM, Medicinæ Practicum fami-
geratissimum, Fautorem itidem ac Amicum honoratissimum. Hi ipsi
quoque, junctis compositisque viribus, medelam probatissimam afferre
non destiterunt. Sed quemadmodum verè proverbio dicitur vulgato:
Contra vim mortis non est medicamen in hortis; ita etiam vis morbi indies
accrescens omnem medicamentorum virtutem interceptit & elusit, adeò ut,
vitæ termino appropinquante, beata analysi fuerit donatus ac refocillatus.
Ut vero, quonam morborum genere noster extinctus est, patefeat, au-
diamus prælaudatum DN. DOCT. DETHARDINGIUM, qui sequen-
tem in modum nos instruit:

Quam de Senectute sciagraphiam dedit Solon interrogatus: hyemem esse in vita hominis: hanc suo exemplo comprobavit, cujus ergo hac scribere cogor, Pharmacopæus hujus urbis, si quis alius, integerrimus, & ex affinitatis vinculo quondam conjunctissimus, NICOLAUS SIBETH. Per primos annos infantia, ut solet, quando annus est puer, germinare, late succrevit; Juvenis, ac in aestate flores ridet, dum in corpore laborifero caro sana fuit, sine morbo viguit; sub virili atate, quamvis, quod in autumno evenit, ut hic soleat aëre crasso esse plumbeus, membra aliquando morbis premerentur, machaonia tamen manus facile subvenit; ast, prouti nive sæva & omni tempestatum genere furit hyems, Senii nivem non modo in jam defuncto conspiciere licuit, sed declivior atas viribus præjudicium, calori vitali detrimentum, vita radium, attulit, ut hæc calamitates essent unda, quæ se truderent. Maxime in angustias conjecit tusfis quassans corpus & viscera vita integritati dicata, quam rejectio sanguinis per os multoties interpellavit. Quin respectus sub his conatibus à naturâ ad proclusionem hæmorrhoidum fuerit habitus, dubium nullum fuit: magis ex doloribus circa os sacrum & stricturis nunc magis perdurantibus, nunc volaticis magis, colligere illud licuit: Sed quia Defuncto sub prioribus annis generosa hæc remedia, vomitus, venæsectio & Scarificatio fuerunt perquam familiaria, ad quæ, quasi per lusum provolvit nutante corpore, haud integrum fuit abducere ad locum destinatum sanguinem, & mutare consuetudinem excretionum circa superiora. Obligat ergo, ut à motibus istis excussoribus profiliret per intervalla sanguis, sed, ventriculo noctes diesve conquassato, periret sensim appetitus, & qui cibi assumerentur, essent non refectio sed pæna. Somnus quoque interpellatus viribus admodum detraxit, ut tandem febricula, octiduo à die emortuali infestanti, facile fuerit, quicquid supererat Virium, prosternere, sicque adaucto asthmate, præcluso aëre, sana mente, pius hic Senex obdormiverit.

Sic Cives honoratissimi! Sic mortuus est Sibethus. Sed quid dico, mortuus est. Vivit in secula seculorum, vivit quoad animam, & triumphum agit perpetuum in regno cælorum. Cippo cuidam in Templo nostro Mariano ingeniosam hanc sententiam novimus insculptam: *Non homo, sed miseria hominis moritur, quod germanicè redderes:*

**Der Mensch geht nicht ins Grab /
Das Unglück stirbt nur ab.**

Apposite


Apposite profecto dictum ! *Homo enim , qui beata morte decedit , non moritur* , neque quoad animam , quippe quæ mori nescia est , neque , ratione Dei , quoad corpus , quippe quod tandem ex cineribus suis erit re-ædificandum , cumque anima reduniendum . *Miseria autem hominis tantum moritur* , quia corpus cum tristi miseria hic conflictatum , ab omni miseria redditur immune , resuscitandum aliquando in gloria . Solatio DEUS optimus Maximus , Orphanorum Pater certissimus , solatio , inquam , perfundat mœstissimos Filios , Filiasque , faxitque , ut , dum utroque Parente orbati sunt , cœlestem curam , providentiam , tutelam ; majori gradu persentiscant . Vos autem , Cives Optimi ! Vos compello , antequam scriptioni meæ imponam colophonem . Date hoc pie defuncto , date liberis mœstissimis , date Cognatis luctuosissimis , atque funus frequentes comitamini ! Cedet hoc pie defuncto in honorem ultimum , liberis mœstissimis in lenimentum certissimum , Cognatis luctuosissimis in refrigerium acceptissimum ! Ita valet , ac superna semper sapite !


*Conventus instituetur in aede Mariana hora 1.
post meridiem.*

*P. P. Die 24. Octobris Anno MDCCXXI.
Sub Sigillo Rectorali.*




Apposite






33
LBMV Schwerin
000.188.018





umque. Vix interim beatus SIBETH lucis usura frui cœpe
 mi Parentes infantem, â Deo donatum, Deo reddere studie
 n sacro regenerationis lavacro tingi, ac Christo inferi curan-
 Christianis Parentibus hæc quoque cura incumbat, ut libe-
 mis imbuere Christianimi præceptis, illosque in timore Do-
 elaborent; nihil in se desiderari passi sunt *Nostri Hujus* Pa-
 ssimi, siquidem in eo formando, ac ad voluntatem divinam
 , nullum non studium impenderunt, nullum non laborem
 nulli operæ pepercerunt, unde, Deo sacrum hoc institutum
 factum est, ut *Noster* tam in agnitione Dei vera, quam in
 infucata eos caperet profectus, qui non poterant non sollici-
 e Parentes. Postea ad maturiorem perveniens ætatem, præ-
 s liberales vocant, elegit artem pharmaceuticam, illique
 totum mancipavit. Id propter Anno Christi millesimo sex-
 otuagesimo secundo, Sedinum se contulit, ibique integrum
 li manuactione ac institutione *Dn. Nathanaëlis*
 bæi Sedinensis solertissimi, addiscendæ, illius cui
 a, exegit & consummavit, qua ratione quoque
 utis tyrociniis annis, ad manus esse, & quæ præ-
 debita circumspectione conficere posset. Ut ve-
 et progressus, varias peregrinas oras visitavit, Sa-
 tiam, Sveciam, aliasque regiones longe diffitas,
 . Peractis sic, in scientiæ suæ utilissimæ cul-
 grinationibus modo dictis, tandem, divina
 a, secunda fortuna delatus est Lubecam, urbem
 us notissimam, ubi firmam nactus sedem, con-
 dam honestissima contraxit, sicque mercaturæ
 At hocce matrimonium non solum sobolis ex-
 conjux lectissima haud multo post fatis concessit,
 duca felicissimè commutans. Hinc, finito anno
 da postmodum vota transit. Licet verò paca-
 atæ hæc secundæ extiterint nuptiæ; Attamen
 que ac primum, mox, jubente ira summo rerum
 , quemadmodum pariter neque hac altera vice
 ertio societatem matrimonialem inire lubuit cum
 e, GERTRUDE BAUERTS. Et ecce! divi-
 it is haud mulò post, una cum mellitissima sua
 m nostrum, & antiquitate urbis, & splendore
 concedere cogeretur, ab Amplissimo Senatu Ro-
 nacopæus. Interim cum modo memorata GER-
 nos procreavit Filios, quorum *primus* mundum vix
 n valedixit, instar floris decidui, qui dum efflo-
 io iterum deflorescit; *secundus* autem CARO-
 CC. die 21. Junii, non solum adhuc hodiè in
 arum Patris dilectissimi obitum acerbis deflet.
 BEATO SIBETHO ita esse felici, ut non tan-
 LI sui indole in sinum gaudere, sed quoque
 Doctoratum ei adhuc gratulari posset, quan-
 do qui

)(3



the scale towards document